



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Aduersus mulieres ludicra. Cap. XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

tro per harundinem trajiciantur, vel ijs suffimenta substituantur. Symphitum ad id peroptimum erit, nam carnes cum eo decoctæ, coalescunt: & alterum quoq; si coquatur, peroptime recentia vulnera conglutinat. Alchimille decoctum, vel succus, saltem stillatitia aqua in vuluam indita, adeo stringit, & coarctat, vt meretrices vix à virginibus dignosci possint, vel si in eis decocto infideant, præsertim si cum eo alia adstringentia adduntur, & foemineos locos perlinamus. Stillatitiæ aquæ asteris Attici in vuluam diutina iniectione, corruptæ ab incorruptis vix dignosci possunt. Sed si vis

vt deflorata mulier integra virginitati restituantur,

Tali pilulas conficies pacto. Alumen combustum, mastiche, adiecto chalcanti, & auripigmenti momento, in tenuissimum redigatur puluisculum, vt fere tactum effugiant. pluuiali aqua pilulas vbi coegeris, digitis comprimito, & tenuem resicari curato, ac naturaliu ostio, hymenei loco accommodentur, vbi prius rupta fuit, senis quibusque horis immutando: pluuiali, vel cisternina aqua semper fouendo, idque per naturalem diem, & hinc inde vesiculas inducet, quæ contactæ sanguinis effluuium emittunt, vt fere à virgine dignosci nequeat. Obstetrices, quæ id curant, alio modo idem præstant. Prædictarum rerum decocto constringunt, mox hiru dine locum mordicus capi curant, si crustulas inducunt, quibus confricatis sanguis emanat. Aliæ vbi locum coarctarint, exiccatum leporinum, vel columbinum sanguinem intus inijciunt, qui humiditate matricis humefactus, in sanguinem viuum vertitur. Nos hoc nobile adinuenimus. Terimus lithargyrum in tenuissimum puluerem, & aceto incoquimus, dum acetum turbidum reddatur, excolamus, & aliud inijcimus, quoad iterum coloretur: tandem excolamus acetum leuigne, & infumum soluiamus.

Aduersus mulieres ludicra. CAP. XXX.

Hucusq; mulierum smegmata docuimus, & multam ad eas decorandas operam impendimus, nunc

post seria ludamus, & contra earum ornamenta moliamur aliqua. Si alicui hoc tale placuerit Specimen,

vt facies fucata palleſcat.

Si dignoſcere quæſieris faciem mangonizatam, ſic fiat. Crocum dentibus commanducato, & ore propius mulieri inter loquendum appoſito, ſtatuſ deturpat faciem, & ſubcroceam reddit, ſi autem nullo fuerit circumlita fuco, innoxia remanet. Velloco ybi manet, ſulphur comburito, ſumus enim, ſi in facie ceruſſa, aut ſublimateum argentum viuum fuerit, faciem fulſcam, & nigram reddit. Fucatae mulieres in Phlegraeis montibus Puteolorum ambulantes, nigrae redduntur illico, vt argentea numiſmata in ſacculis clauſa. Poterimus & hoc etiam modo

Fucum dignoſcere purpurei coloris.

Commanducato grana cumini, vel allij nucleolo demorſo propius adloquitor, nam ſi natiuus permanet, ſi ceruſſatus, vel hydrargyro concinnatus, ſtatim obſoleſcit. Si vis

vt lentiginosa mulier euadat.

Fit è ſtellione malum medicamentum, nam cum mortuus eſt in vino, faciem eorum, qui biberint, lentigine obducit, ob hoc in vnguento necant eum inſidiantes pellicum formæ. Remedium eſt oui luteum, mel, ac vitrum, ex Plinio. Si placet

Facies viſceſcat.

Retulit Auicenna. Sparſo chamæleontis decocto, in aquam balnei, viridi colore inſici illum, qui immoratur in balneo illo aliquantiſper, & deinde paulatim priſtinum colorem recuperare. Poſſumus quoque facere

vt deſtuant pili, & capilli.

Salamandrae ſanie, quæ lactea ore vomitur, quacunq; humani corporis contacta parte, totius corporis deſtuunt pili, idque quod contactum eſt,

in vitiliginem mutat, ex
Plinio.